

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCXLII.

*S. Gratiam & pacem à DEO Patre per Christum**Immanuellem, Amen.*

Clarissime atque ornatissime vir, Compater reverende. Cum familiarius utar Michaële Elwein, multum de Schwencckfeldii erroribus conferre solemus, dum ille Schwencckfeldium in aliquibus excusat, ego verò errorem demonstro. De quibus nunc aliud nihil commemorandum judico, nisi illud unicum, quod Ecclesiæ Argentinensis plurimum interesse scio. Incidimus obiter in mentionem Michaelis Theureri, qui nunciabatur suo renunciassè muneri, quod in Senatu Argentinensi non ita pridem gerebat. Cujus renunciationis Elweinius hanc affert causam, ut plus ocii esset continuandi & absolvendi Scriptum aliquod. Quale illud sit, facile ex eò intelligitur, quod ex Schwencckfeldii Scriptis colligatur, & horum dilucida explicatio futura dicatur. Cum enim genus sermonis in explicandis abstrusis mysteriis plerisque horridius videatur, & non intelligatur, nisi ab iis, qui in schola Schwencckfeldiana diu exercitati sunt, placuit Theureto, eloquentiam suam, quàm multa lectione & diuturno usu in hac disciplina sibi comparavit, ad hanc professionem accommodare & imperitiis aliis ad veriores, si diis placet, institutionem & syncerioris Theologiæ propagationem, sua opera publica inservire. Quanquam autem hoc Teureri consilium, Michael Elwin, gener ipsius, non in eum finem mihi prodidit, ut à me impediretur, aut operi ipsius remora aliqua injiceretur, sed potius, ut Scriptoris Zelum commendaret, & me novitatis expectatione suspenderet, tamen ego apertè contra protestatus sum, me ejusmodi blasphemis libellis usque adeo non delectari, ut potius omnia ejus farinae Scripta oppressa velim. Et sanè, si tanta mihi esset in negotio hoc administrando prudentia & autoritas, quam est prompta voluntas, nusquam aut saltem Argentinæ nunquam iste Theureri liber in lucem prodiret. T. vero Excell. Clariss. vir, significandum duxi, ut hos Teureri conatus diligentius observet, & pro sua pietate, prudentia & autoritate impediat. Scio quidem, magnam calliditatem esse hominis in occultandis suis technis, attamen à præmonitis facilis illæ explorantur & deprehenduntur. Ego quoque interim non cessabo, omnia diligentius expiscari & veritati testimonium ferre, certus, Elwinium nunquam negaturum, quod mihi quidem soli solus, sed duabus vicibus & constanter est confessus. Existimo enim me hanc fidem debere Ecclesiæ Christi, & Ministerio Argentinensi, ne dicam publicæ tranquillitati. Si nihil promovero hac mea sollicitudine, isthæc tamen præmonitio ex tempore nata apud TE mihi fraudi non erit.

Porro cum Elvin: in concertatione illa privata objiceret, Schwencckfeldii
Senten-


Sententiam nondum satis cognitam damnari, respondi, satis superque auditum & convictum esse, in Argentinenſi Synodo apud Pœnitentiarios, me quoque legiſſe & in promptu habere, non tam quæ hic ad Senatam contra Miniſtros Argentinenſes perſcripſiſſet, quam quæ illi ad objecta ejus reſponſiſſent. &c. Jam Elvin. non ceſſat, me ſubinde multis precibus urgere, ut copiam horum Scriptorum illi faciam. Cum autem omnia ea ante annos 18. à T. E. mihi ad privatam meam uſum ſubminiſtrata ſint, nolui ea ſine ejus, à quo accepi, conſenſu, vel huic vel cuiquam communicare. Spero tamen, non improbatum iri, ſi ea quæ T. E. ad Senatam contra Werneri poſtillam (quam ille diurna & nocturna verſat manu) conſignavit, legenda committam. Quis novit, an ea admonitione vel ſectatur, vel induretur animus ejus? Expecto tamen E. T. judicium & voluntatem, cui acquieſcere omnino ſtatui. Reſponſionis loco ab occupatiſſimo vel affirmationem ſimplicem vel negationem requiro. Sed de his ſatis.

Reliquum eſt, ut T. E. in memoriam revocem, quæ ante menſes quatuor coram rogavi. Sine ergo, Ornatiff. D. D. & Mœccenas humaniſſime, me meosque hoc à T. E. viva impetrare, quod poſt mortem meam ne ſuperſtites quidem liberi à Succelloribus obtinere poterunt. Brevius hæc, ne videar vel memoria vel benevolentia T. diſſidere. Opto T. E. cum familia diu & rectè valere. Scripſi Hanzvillæ VII. Id. Maji Anno M D LXXVIII.

T. E.

Studioſiff.

Conradus Lautenbach.



CCXLIII.

Salutem in Christo. Reverende & Clarissime Vir,

Domine & frater honorande.

L iteras tuas in Schola Portenſi mihi Studioſus reddidit, unâ cum historia Actorum, quæ inter Senatam urbis & verbi Miniſtros Argentorati in negotio Concordia acta ſunt. Cum igitur Elector Saxonia eo die ab omnibus Politicis actionibus vacans, totus pietatis ſtudio & meditationi ſeſe tradidiſſet, Celf. ipſius omnia ſcripta recitavi. Quæ ſane ut ex parte Veſtra ejus Celf. gratiſſimæ fuerunt: ita vehementer miratus eſt, quæ cauſa ſit, quod Senatus Veſter cunctetur. Ut autem iſ quoque exciretur, ſcripſi ego ad D. D. Ludovicum Grempiam, diligenter autem diſſimulatis omnibus, quæ tu ad me miſiſti. Et ſuperiorum annorum exemplum propoſui